

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Medico-Practica Inauguralis. De Morbo  
Maculoso Hæmorrhagico Werlhofii**

**La Faille, Jacob Baart de La Faille, Jacob Baart de  
Groningae, MDCCXCIX.**

**VD18 13387421**

Caput II. Causarum Expositio.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8951**

C A P U T II.

CAUSARUM EXPOSITIO.

§. 17.

Ordo nunc exigit, ut in varias hujus morbi causas inquiramus, quæ hominem ad eum aptum atque proclivem reddunt, eumque vel excitant, aut huic occasionem subministrant; hinc necesse est, ut eas, quæ a Pathologis sub nomine causarum prædisponentium & occasionalium traduntur, etiam ex casibus jam delineatis eruamus.

§. 18.

Inter causas itaque prædisponentes primo recensenda venit ætas infantilis; eam huic præ cæteris obnoxiam esse, fatis superque sedula omnium casuum comparatio evicit; hinc certe cum BEHRENSIO & WICHMANNO facere debemus, majorem infantum vel juvenum numerum hocce fuisse correptum, quam adultorum (60), ea quidem ratione, uti novemdecim ad duodecim.

In-

(60) WICHMANN Ideen zur Diagn. Tom. I. pag. 88.





Inprimis quoque ad hunc morbum præ virili prædisponit sexus fequior, cujus ratio e peculiari corporis structura & habiū videtur desumenda. Favet non solum huic morbo maxime ætas puellaris; verum etiam præ virili disponit ad illum ætas effeta, in qua haud raro corpus, mensibus non amplius respondentibus, diversis abundat acrimoniis; & exin morbose adfcitur. Si enim omnes, quos citavimus, casus perlustrentur, clare distincteque patet, majorem feminarum, quam virorum numerum nostro arripi morbo, ea ratione, ut proportio feminarum sit ad illam virorum, ut viginti ad undecim.

## §. 19.

Sæpe numero autem acrimonia quævis ob debilitantem, quem in corpore exercet, effectum, huic morbo generando multum videtur tribuisse: exemplum enim tale evidentissimum adfert Doct. BEHRENS viri hoc morbo correpti, qui summe erat melancholicus, hæmorrhoidibus & podagra vexatus, cum quibus simul insignis degeneratio humorum scorbutica sese manifestabat (61). Quin imo e recensitis morbi historiis, planum est atque apertum,

(61) BEHRENS Lib. Cit. pag. 624. & seq.



um, menstrui fluxus suppressionem sæpe prægressam fuisse morbum, adeoque facile suam partem ad acrimoniam humorum acuendam contulisse.

Debiles huc etiam referri debent, quibus constitutio tenera, scorbutica, vel morbo aliquo est debilitata; illud duo casus e Miscell. Acad. Nat. Curios. egregie ostendunt (62). In genere vero plurimi e memoratis casibus probant, hic vel solidorum debilitatem, vel morbosam fluidorum diathesin accusandam fuisse; nihilominus prostant casus illorum, qui sani, robusti, optimeque valentes hunc perpeffi sunt morbum, quod casus a BEHRENS (63), REIL (64), KLINGE (65), SCHUURMAN (66), & CONSRUCH (67), observati satis dilucidant.

§. 20.

Opportunitatem maximam huic malo conciliant hiems & autumnus; in quæ anni tempora *Mor-*  
*E bus*

(62) GRAFF Diff. Cit. Obs. VII. pag. 20. & Obs. XI. pag. 22.

(63) WERLHOF Lib. Cit. Pag. 748.

(64) REIL Lib. Cit. Obs. IV. pag. 214.

(65) KLINGE Lib. Cit. pag. 180.

(66) Conf. Cas. III. Dissert.

(67) HUFELAND Journ. d. pract. Heilk. Tom. VII. Part. II. pag. 20.





*bus Maculosus Hæmorrhagicus* ordinario incidit. Verum non desunt exempla ægrorum, qui vere et ætate correpti sunt; observationes saltem REILII, KLINGII, HUFELANDII, Aliorumque adfert veritatem abunde docent.

Adferunt porro lubenter WICHMANNO tribuimus, adfirmanti, quod hicce morbus non endemicus, nec ulli addictus sit regioni, sed in variis, uti in Anglia, Scotia, Dania, plurimis, nec non diversis Germaniæ plagis, tam excelsioribus, quam humilioribus, siccioribus & humidioribus, æque calidioribus ac frigidioribus, deprehendatur. Quin etiam in nostra Patria dantur plurimi Practici, in re medica versatissimi, qui, se hunc morbum sæpius observasse, testantur.

§. 21.

Quamvis causarum occasionalium numerus non tantum ingens, sed quoque diversus recenseri deberet, tamen plerique Auctores nullam manifestam descripserunt causam.

In genere huc reducenda esse puto omnia illa, quæ vel mediate vel immediate in corpus debilitando agunt, quorum præcipuas tantum recensebo causas, quæ huic morbosæ adfectioni suam contri-

bu-





huerunt partem; ad quas tempus humidum & frigidum, ac diætā prava pertinent.

§. 22.

Licet in nonnullis casibus nullam detegere poterim causam, tamen in multis vel præcessit, vel adfuit tempus frigidum ac humidum (68), quod quoque KLINGII observatio confirmat, testantis, se eo tempore, quo hiems variabilis humida & pluviosa prægressa erat, talem observasse casum (69). Doct. GUILBRAND annotavit, quod in suo casu diætā pravā, atque expositionem corporis aëri humido & frigido *Morbus Maculosus Hæmorrhagicus* infecutus sit (70). In casu a Doct. SCHUURMANNO ulterius annotatum invenimus, quod ægra sæpius pedes habuerit frigidos ac humidos, seque multis aëris vicissitudinibus, atque injuriis exposuerit (71). Doct. autem CONSRUCH, causam ma-

E 2 li,

(68) Amice quoque Cl. Præceptor atque Promotor P. DRIESSEN mecum communicavit, se non raro hunc morbum in locis humilioribus nostræ Urbis, tempestate imprimis frigida & humida, observasse.

(69) Lib. Cit. pag. 182. & seq. in not.

(70) Lib. Cit. pag. 170.

(71) Conf. Cas. III. Diff.





II, quo ægrotus laboravit, cubiculo valde humido,  
& exanthemati scabioso inveterato, ac medicamen-  
tis retropresso, tribuit.

## §. 23.

Ad causas occasionales porro morbum nostrum  
producentes referri debet diæta prava, quæ in  
multis casibus, antequam morbus eruperit, suam  
attulit noxam. Sic e casu, a Cl. DUNCANO  
communicato, habemus compertum, puellam e pau-  
perum classe, hoc laborantem, mense ante mor-  
bi eruptionem circiter elapso, ingentem faba-  
rum quantitatem comedisse, & biduo post insigni  
lassitudine cum horrore & frigore adfectam fuis-  
se, infecutis dein vomitu & appetitu prostrato  
(72); hujus causæ in binis observationibus menti-  
onem quoque fecit Cl. REIL, adferens, unum æ-  
grotum propter res angustas frutum fuisse cruda  
atque tenui diæta, vitamque degisse sedentariam;  
alteram ægram fuisse feminam effetam macilenti &  
longi corporis habitus, quæ per aliquot annos di-  
ætam servaverat tenuem (73).

Denique observationem, a Doct. GRAFFIO (74)

(72) DUNCAN Lib. Cit. Caf. VII. pag. 64.

(73) REIL Lib. Cit. Obs. I. & II. pag. 209. & seq.

(74) Diss. Cit. Caf. III. pag. 19.



e Misc. Acad. Nat. Curios. desumptam, hic adferre non dubito, qua constat, diaphoreticorum abusum post vehementissimum sudorem, variarum partium hæmorrhagias, ac macularum insignem eruptionem, conciliaffe.

**N A T U R A M O R B I.**

§. 24.

Expositis nunc variis hujus morbi symptomatibus & causis, transeundum nobis erit, ad breviter explicandam illius causam proximam vel naturam; in hac autem re varias offendimus Auctorum, qui hunc morbum delinearunt, sententias.

Ut a WERLHOFIO incipiam; venerabilis hic Vir (75) opinatur, hunc morbum plenarie cum petchiis ordinariis convenire, eumque pro morbo sui generis & effectu dissolutionis putridæ, varii generis hæmorrhagias producentis, esse habendum; hanc autem dissolutionem sanguinis a causa scorbutica aliave suum trahere ortum.

Aliam amplecti videtur opinionem Doct. GRAFF, qui putat, in hoc morbo non putridam sanguinis dissolutionem, verum tenuitatem vitiosam, a solida-

E 3 rum

(75) WERLHOF Lib. Laud. pag. 540. in not. 65.





rum partium laxitate obortam, esse arguendam, ita ut sanguis tenuior factus, & occasionali quadam causa commotus, in cutaneas partes transmittatur & periculas formet. (76).

Cl. vero DUNCAN eam de natura morbi fovet sententiam, quod hæ maculæ originem suam trahant a sanguine sub cellulosa effuso; Vasa tenefa & relaxata in rupturam admodum prona esse videntur; hæmorrhagiam vero hæud esse tribuendam veræ plethoræ, sed potius acrimoniæ cuidam, non quidem scorbuticæ, sed huic analogæ, ita quidem ut, dum in scorbutico adest folliculorum sanguinis crispatio & contractio a causa salina, in hoc morbo a dissolutione crepaturam subeant, solidis corporis partibus vix adfectis (77).

Doct. quoque FERRIS, hunc morbum multam analogiam cum scorbutico habere, adferit, tamen non credit, illum solummodo a sanguinis tenuitate ac solutione oriri, sed simul partialem laxitatem, atque debilitatem systematis vasculosi adesse. Quam autem sententiam iis nisi fundamentis putat, quod in suo casu hæmorrhagia somni tempore locum haberet, dum evigilatione, quando vis vitalis energia augetur, statim cessaret (78).

(76) GRAFF Diff. Cit. pag. 24.

(77) A. DUNCAN Lib. Cit. pag. 70. & seq.

(78) FERRIS Lib. Cit. pag. 83.



Cl. WICHMANN derivat *Morbum Maculosum Hemorrhagicum* a quadam specifica sanguinis corruptione, cujus naturam non determinat, adserit tamen, quod, si hic morbus ægro, laboranti alio morbo, sive variolis vel febre, accedat, facile fieri possit contagiosus atque periculosus (79).

Doct. GUILBRAND hunc pituitosæ dissolutioni sanguinis, in quo partes gelatinosæ atque balsamicæ deficiunt, adseribit; morbum autem in eo a febre putrida petechiali differre, censet, quod hic vitium sese ad sanguinem tantum determinet, dum in febre putrida miasma putridum nervorum extremitates adficiat, eorumque ope ad cor & vasa deferatur, ac tandem ipsum laticem vitalem corrumpat (80).

Doct. KLINGE versatur in ea opinione, quod omnia phænomena, quæ in hoc morbo occurrunt, optime explicari possint ex imminuta vis vitalis activitate, atque exin producta humorum specifica depravatione, præcipue sanguinis (81): cui tandem opinioni Cl. HUFELAND addidit, notabilem quoque adesse localem cutis debilitatem (82).

§. 25.

(79) WICHMANN Ideen zur Diagn. pag. 96 & seq.

(80) GUILBRAND Lib. Cit. pag. 173.

(81) KLINGE Lib. Cit. pag. 189.

(82) HUFELAND Lib. Cit. pag. 204.



Tantam autem morbus noster cum scorbuto habet affinitatem, ut plurimi, qui eundem observant, eum pro pessimo scorbuti gradu habuerint. Quodsi enim præcipuas præcedentis sæculi scorbuti descriptiones EUGALENI, WIERI, Aliorumque evolvamur, ubique inter symptomata scorbuti recensitas videmus petechias, iis nostri morbi simillimas, lassitudinem, anxietatem, oris, aliarumque partium hæmorrhagias; nec dubito, quin ex his multi, pro scorbuticis habiti, vero *Morbo Maculoso Hæmorrhagico* laboraverint. Accedit & illud, quod sæpe noster morbus easdem feriat constitutiones, & scorbutus cum eo complicetur. Quamvis autem scorbutus nostro morbo videtur valde vicinus, ac in multis ratione symptomatum & curationis conveniens, tamen diversæ originis esse, probant sequentia.

Scorbutus est morbus endemius regionum borealium humidarum & depressarum, dum noster morbus, qui quoque frequens ab humido aëre generatur, in omnibus regionibus sub diverso climate observatur. — Infantes magis nostro morbo corripitur videmus, in scorbuto potissimum adultos. — Ea quoque scorbutum & huncce morbum intercedit diversitas, quod ille lente cum dyscrasie signis,



oris ulceribus, gingivarum laxitate & spongioso habitu incipiat; hic vero gingivæ profus ulceratione carent, ac firmæ sunt, dum maculæ in oris cavo aliam præ se ferunt indolem; maculæ & hæmorrhagiæ e scorbuto oriundæ in fine morbi observantur, & signa dissolutionis exhibent; sanguis, qui e vena ducitur, eandem manifestat degeneratorem, quæ in vulneribus & in organis secernentibus offenditur; imo ecchymosès in scorbuto sæpe obviæ, procedente morbo, non raro ulceris mali moris habitum acquirunt; quæ omnia neutiquam in *Morbum Maculosum Hæmorrhagicum* cadunt.

## §. 26.

Quodsi igitur morbus noster non ad scorbutum profus pertineat, nostrum erit morbi naturam ex iis, quæ in eo observantur, phænomenis eruere, quamvis in ejus expositione plura dubia & obscura remaneant, ulteriori demum experientia corrigenda.

Vix enim hisce diebus quis sibi persuadebit, quod hicce morbus a purrida scorbuticæ non ab simili dissolutione dependeat, quod tota humorum quantitas ita foret depravata, ut sanguis putridus e vasis corrosis sponte effluat, adeoque morbi natura in ipsa humorum degeneratione esset quærenda.

F. Sed



Sed quis est, qui non perspiciat, illud legibus vitalibus nostri corporis repugnare; quomodo quæso sanguis vitalitate destitutus, acris & putridus per vasa circulam suam absolere possit? quomodo ex hoc latice corpus nutrirî, omnesque, quæ exin fieri debent, secretiones perficerentur? Observationibus quoque contraria foret hæc opinio, nam sanguis e vena eductus eo tempore, quo ex ore, aliisque partibus dissolutus & niger evacuabatur, naturalis prorsus in duobus casibus prodibat (83). Quin etiam in casu, a Doct. VAN GEUNS observato, sanguis sub cellulosa stagnans, lanceola eductus, ad putridam & dissolutam indolem vergebat (84); quod si autem massa sanguinis eadem putrida labe esset infecta, vulnus non tantum non fuisset consolidatum, verum etiam lethalis post incisionem oborta fuisset hæmorrhagia.

Idem etiam e memorabili GUILBRANDII observatione patet; cadaver enim alicujus hoc morbo extincti biduo post mortem nulla putredinis indicia ostendebat; dum in febre vere putrida processus putridus tam cito incrementa capiat, ut intra paucas post mortem horas cadaver teterrimum & prot.

(83) GUILBRAND Lib. Cit. pag. 170. ut & Conf. Caf. III. hujus Dissert.

(84) Conf. Caf. IV. Dissert.



prorsus intolerabilem odorem fœtidum spargat. Ultimo denique loco illud quæstionem solvit, quod vigor ac corporis perfecta sanitas, omniumque excretionum & secretionum debitum exercitium morbum præcesserint, quod fieri non potuisset, si morbus a lenta & chronica humorum dissolutione penderet; quamvis negari nequeat, infantes debilesque imprimis huic morbo obnoxios observatos fuisse, in iis tamen ante morbum nulla præcesserant, quæ eos proclives ad putridum morbum reddebant.

## §. 27.

Quodsi igitur *Morbus Maculosus Hemorrhagicus* non producat a putrida humorum dissolutione, jure merito quæritur, quænam hujus morbi natura sit? — Si meam qualemcumque de eo sententiam proferre liceat, mihi non omni probabilitatis specie carere videtur illa opinio, quod morbus noster pertineat ad morbos non febriles exanthematicos, quod tamen plurimam aliat affinitatem cum Petechiis febrilibus & Erysipelate; qui morbi, licet non videantur a miasmate specifico oriri, quemadmodum illud in variolis & morbillis etc. locum habet, videntur equidem causam suam proximam agnoscere in materiali quadam causa, ple-



rumque a massa humorum separata, & critico ac provido naturæ molimine ad corporis superficiem delata.

Licet nulla febris morbum præcedat, tamen inter prævia morbi symptomata talia recensuimus, quæ in reliquis exanthematibus observantur; uti anxietatem, totius corporis delassationem etc., quæ, eruptione peracta, saltem pro parte disparent.

Quam maxime etiam e noxio retrocessionis effectu sese manifestat exanthematica ejus natura; quemadmodum Petechiæ & Erysipelas retrocedendo periculosa creant symptomata; ita quoque maculis in nostro morbo cito evanescentibus, testibus BEHRENSIO (85), Aliisque, gravissimum periculum, imo mortem inopinatam adduxisse, constat. Nec dubito, quin exin noxius repellentium gargarismatum ex adstringentibus confectorum effectus sit explicandus; saltem in casu Sartoris, a REILIO annotato, ad sistendas hæmorrhagias imprimis oris gargarismata, ex alumine & rad. bistortæ parata, eo cum effectu exhibita erant, ut dolor capitis vehemens, mentis alienatio, rubor ac rigiditas oculorum, pulsus vacillans, respiratio stertorosa, & denique apoplexia sanguinea finem

vi.

(85) WERLHOF Lib. Cit. pag. 630.





vita imponerint (86); materia scilicet *Morbum Maculosum Hæmorrhagicum* producente ad cerebrum conversa, quemadmodum illud cum funesto exitu sepe in quovis exanthemate retrocesso accidit. Eundem exitum post adstringentia in altero casu etiam vidit REILIUS (87); maculæ quidem statim disperebant & hæmorrhagiæ cessabant, sed cum capitis & hypochondrii sinistri dolore commutabantur, quem delirium, convulsiones, somnolentia & tandem mors insequiebantur.

Quæ diximus, confirmantur quoque morbi exitu irregulari, per aliam viam minus fausto, quando ad parotides prægressa febre materies morbosa vergat, quales casus REIL (88) & HUFELAND (89) adducunt.

§. 28.

Quodsi porro quæstio illa instituat, qua ratione maculæ & hæmorrhagiæ juxta nostram opinionem hoc in morbo generantur? — Respondemus, quod eodem modo, ac in reliquis morbis

F 3

ex

- (86) REIL Lib. Cit. Obs. I. pag. 209 & seq.
- (87) Lib. Cit. Obs. II. pag. 212.
- (88) Lib. Cit. Obs. III. pag. 214.
- (89) Lib. Cit. pag. 193.



exanthematicis a stimulo materiæ cujusdam acris ita pathologice mutetur finium vasorum actio, ut emittant, & quasi secernant ejusmodi sanguinem acrem, solutum & nonnunquam fetentem; analogas quippe secretiones pathologicas in corpore præternaturaliter disposito offendimus, ita fonticuli, vulnera, mutata topica vasorum actione, materiam acrem, tenuem, ichorosam, fetentem admodum, reliquo corpore sano, emittunt.

Quemadmodum autem petechiæ internæ, notante STOLLIO & BURSERIO, deprehenduntur, ita & in hoc morbo videntur in finibus vasorum, ubique tales effusiones sanguinis dari, quæ omnino eandem habent originem cum maculis, sub cuticula & in oris cavo obviis.

## §. 29.

Quod febris summe putrida & maligna incurabilis plerumque & lethalis morbum male tractatum vel neglectum comitetur, neuiquam expositæ theoriæ repugnat; hæc quoque febris putrida ex absorptione materiæ exanthematicæ in variolis sæpe producitur; multum quoque facit sanguinis jactura & humorum depauperatio, quæ hic locum habet, qua necessario vis vitalis vasorum deperditur, & status collapsus oritur. Quum igitur ma-



teries sub cellulosa stagnans putridam induat naturam, non aliter fieri potest, quin vasa absorbentia ubivis obvia putridum hunc sanguinem inhalando ad se trahant, cumque sanguine commisceant, unde vi vitali vasorum extincta necessario sequitur, quod hæc putrida labes prorsus superari nequeat, & febrem producat putridam. Quod etiam exemplis analogis in partibus gangrænosæ, contusionibus, vel vulneribus in gangrænam vel necrosin transeuntibus, sæpenumero fieri, experientia duce comprobatur.

### PROGNOSIS.

§. 30.

Visis jam morbi signis ejusque causis, tandem hujus pertractanda erit, ac attenta mente inquirenda prognosis; hinc paucis, quid de læto vel infauso exitu censendum sit, illustremus, necesse est.

Animadvertendum autem est, quod in genere hic morbus, si ejus cura bene administretur, non adeo sit periculosus, quin plerique hoc detenti naturæ & artis ope in sanitatem restituantur. Interim mirandum est, quod corpus humanum cum sanitatis recuperatione tantam liquoris vitalis

de



depauperationem sustinere queat, quanta saepe numero locum habuisse visa est, quod, si simul adsint totius corporis debilitas, laxitas & humorum acris indoles, grave portendit periculum, uti in iis praecipue, qui aetate proveciori vel infantili gaudent, recte nonnulli Auctores animadvertunt.

*in iis praecipue, qui aetate proveciori vel infantili gaudent, recte nonnulli Auctores animadvertunt.*

Inter signa prognostica, faustum exitum augurantia, merito consideratur tempus, quod morbus perduravit. Omnes enim morbi, quo diutius perstiterunt, eo etiam difficilius percurantur; haec eadem lex quoque de nostro morbo viget; nam in initio morbi sanguis ordinario non est depravatus, nec vires tam deperditae, quin facile, si rite artis auxilia adhibeantur, ei succurratur, & intra aliquot dies plenaria corporis redeat integritas. Facile autem contingere potest contrarium, ut morbus, si Medicus justo tempore non advocetur, multum increverit, neque in initio ab adstantibus pro morbo gravioris momenti habeatur, antequam morbus magnos fecerit progressus, & depravatio humorum aliqua, magnaque sanguinis evacuationes exin obortae sint.

Bonum porro ominantur, si petechiae rubeant, vel



vel rosei coloris sint; si æger alio morbo non sit exhaustus, neque nimia fuerit hæmorrhagia, nec sanguis sæteat; si vires integræ adsint, nec ulla reliqua corporis vitia huncce concomitentur; si in juvenili ætate accidat, nec aliqua in corpore ad morbos, vel inprimis ad febrem detur dispositio.

## §. 32.

Inter signa mali ominis numeranda sunt ætas provecta vel senilis, vel in feminis effeta, diathesis scorbutica, arthritica, constitutio cachectica, aut alia humorum viciata labes. Minus etiam bonum omen secum fert, si sanguis nimia copia effluxerit, si summa adsit debilitas, si sanguinis effusi odor sit fætidus, ac putredinis indicia monstræt, halitusque oris fæteat.

Quemadmodum illud de omni morbo, ita et de nostro valet, quod quævis complicatio mala sit et difficiliorem promittat curationem; pessimum autem est, si huic accedat febris putrida, quæ manifeste omnem vim vitalem adhuc præsentem brevi destruendo lethalem eventum conciliat. Infaustum porro est, si petechiæ, morbo incremente, dispareant, si vibices vel striæ nigræ sanguineæ majoris dissolutionis sanguinis sub cute stagnantis, vel etiam vasculorum ultimorum corrosionis signum,

G

gnum,





gnum, symptomatibus reliquis incrementibus, adveniant, & syncope frequens, leipothymia, ac convulsiones accedant.



C A P U T III.

C U R A T I O.

§. 33.

Ex iis, quæ de natura hujus morbi diximus, facile intelligitur, quod, prouti diversimode de causa proxima opinati fuerint Auctores, diversas quoque curandi indicationes sibi proposuerint.

Cl. WERLHOF in hocce curando morbo extollit remedia acida cum anodynis, ut humorum dissolutio impediatur, & fibrarum irritatio, motusque inæquabilis emendetur; emuliones seminum frigidorum, papaveris etc. cum pulveribus gelatinosis & nitrosis, gummoso — mucilaginosi & potu lacteo, si acida omittantur, adhibuit; si inflam-